

CARMINA GRATVLATORIA

IN HONOREM,  
PIETATE, LIBERALI-  
VM ARTIVM SCIENTIA,  
Doctrina, & Virtute ornatissimi Iuuenis,  
Dn. IOHANNIS ALBINI Deliciani,  
cùm illi, vnà cum 52. honestis, ac doctis  
Viris & Iuuenibus, in celeberrima Academia  
VVITEBERGENSI, summus in Philo-  
sophia gradus, à spectatę dignitatis Viro, Dn.  
M. SIMONE GRONENBERGIO,  
publica ac solenni renunciacione con-  
ferretur, D. XIV. KL.  
APRIL. A.P.O.R.

C15. 15. XIIIC.

*Scripta ab Amicis.*



VVITEBERGÆ

Ex typographia Simonis Gronenbergij.

M. D. LXXXVIII.

**V**IXTI Thalix cultor idoneus  
Et militasti non sine gloria:  
Nunc dona defunctus labore  
Pieridum veneranda habebis.  
Artes Mineræ qui docilis pias  
Custodit, hinc hinc sumere purpuræ  
Potest decus, librum, annulumq̄,  
Desidix oppositos honores.

O qui beatum Christe tenes polum, &  
Mundi carentem finibus ambitum,  
Sublimis ALBINVM fauore  
Tange tuum simul æquus auræ.

M. Valentinus Trebatius.

EPITHYMIA PETRI ISEBERGII AD DN.  
M. Iohannem Albinum Halâ missa.

**S**iquis ad armigeræ doctas ascenderit arces  
Palladis; adsumens impiger arma gerat,  
Multa ferat, patiens oneris puer: ardua tentet  
Culmina Parnasi montis adire puer:  
Surgat, ab Eoo Phœbus cum litore surgit;  
Pigra quietis amans ocia lectus alit.  
Victori faciles victori florida Musæ  
Serta ferent, niueisserta nouata rosis:  
Non quæ Phæacis, vel Adonidos educat hortus,  
Sed quæ perpetui floris honore rubent.  
Te quoq̄ de viridi nunc LANÆ Minerua propinquum  
Rupe vocat, decorans fronde virente comam.

Non

Non piguit duros te luttinuisse labores,  
Et versare, virum scripta diserta, manu.  
Virtutem firmo comitantur præmia passu,  
Hæc, dum summa petit, serpere nescit humi.  
Thespiadum studijs decus immortale paratur,  
Pegasus æthereas transit ad usq̄ domos.  
Gratulor ergo tuo iam nunc addictus honori,  
Et, precor, in laudes cedat ut ille DEI,  
Cingebant olim victoris tempora Lauro,  
Tu domitor Lernæ laureaserta geris.  
Annulus induitur digito: TIBI parta resurgit  
Gloria, quam Lethi vis abolere nequit.  
Ipse tibi tradens libros commendat Apollo,  
Ne, tua, sed quod habent cælica scripta, sones.  
Toxica Cantharides, varijs ex floribus Hyblæ,  
Sugere Cecropias mella videmus Apes,  
Exere dona, datis insignibus vtere felix,  
Fert Cererem, curuo vomere scissus, ager.  
Memnosymon nostri ne respue carmen amoris,  
Exiguissetiam gratia rebus inest.  
Grata DEO facias te digna, salubria multis,  
Sic dabitur capiti Laurea vera tuo.

ΑΚΡΟΖΤΙΧΙΞ

Ex l. Magistros 7. C. de Professor. & Medic. lib. 10. in qua L. grauisimè &  
prudētissimè Imp. Rom. IVLIANVS; vt & passim alibi D. Valentimiani & Theodo-  
sij ea de re constitutiones extant; honoris insignia non ambitione non precio, sed probate  
vite testimonio, labore, ac industria ad vnumquemq̄, deuenire debere, hisce rescripsit verbis:

42

Magistros

Magistros studiorum Doctoresq; excellere oportet moribus  
primùm, deinde facundia. Sed quia singulis ciuitatibus adesse ipse  
non possum, iubeo, quisquis docere vult, non repentè, nec temerè pro-  
siliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus, decretum curialium  
mereatur, optimorum conspirante consensu.

**M**agna quidem Laus est, claro de stemmate nasci,  
**I**llustresq; Abauos ferre referre suos:  
**A**ttamen ingenij decus omnia prestat honore,  
**A**c laus ingenua maior ab arte venit.  
**G**loria, Honor, Fama insignis virtutis amore,  
**C**astalidum nec non paria labore, viget.  
**I**psa dat Aecida vitam post funera Achilli,  
**O**ccisus sacro sit licet ille loco.  
**S**ic per Eam Alcides magnus nunc vivit, & Hector  
**B**elliger ipsius munere nomen habet.  
**T**antalidis semper manet hinc Ductoris Achiuum  
**V**irtus, Dulichij floret honorq; decus.  
**R**es, Proceres, facta Heroum quis nosset & acta,  
**S**criptis ni fuerint, **M**USA, notata tuis?  
**O**mnis at in mundo Fortuna, pecunia transit,  
**I**psa hominis species, ceu leuis umbra, fugit.  
**I**mmo ut vita brevis, leuis est, fumus sumus umbra:  
**S**ic genus, & patrum stemmata clara cadunt.  
**O**mnia vana, caduca, caduntq; cadentibus annis,  
**E**st stabile (ab) toto prorsus in orbe nihil.

**A** rte

**A** rte quis ingenua ingenium non excolat acre?  
**B**landus honos artes nutrit, Eisq; fauet.  
**N**obilis hinc Pietas crescit laudataq; virtus,  
**E**xinde immensum **G**LORIA calcar habet.  
**N**am dum Virtuti tribuuntur premia laudum,  
**R**ite decus **P**IETAS, quod mereatur, habet.  
**I**d quod iustitia ordo Dei, & Respublica poscunt,  
**G**nauius & Canones, Lexq; sacrata iubet.  
**A**c ciccirco gradus Veteres sanxere decentes,  
**V**sq; in presentem mos viget iste diem:  
**L**audis ut Emeriti non destituantur honore;  
**I**ngenum, **V**IRTUS quem meruere Labor;  
**B**elle qui callent studijs felicibus Artes,  
**T**um mores monitis excoluere bonis.  
**I**nde **M**AGISTERII nomen, titulusq; resultat,  
**E**n venit hinc Sophia summus in arte gradus.  
**N**on temerè tribuuntur Ea ornamenta Magistris  
**B**arbari ut, ast falso, dicere Ubique solent;  
**O**rnantur tantum Virtutis & Artis amore  
**E**xculi: Ignavis nulla corona datur.  
**D**octores Sophia, claro statuente Senatu,  
**R**ite probant doctus quis sit & arte rudis.  
**E**rgo tuum in studijs progressum, **L**AENE, probatum  
**G**ratulor ac decimum, dulcis Amice, locum.

**A** 3 Leucoris

L eucoris en ornat I E Academia honore Magistri,  
A c summum in Sophia dat tibi, I A N E, gradum.  
I am digitis aperit librum, imponitq; <sup>τιςραρ</sup>  
E cce comis, nomen grande, D E C A N V S, habens.  
C ynthius ipse tibi nunc premia digna rependit;  
F amam hanc ingenij mors abolere nequit;  
I nnumerat post tot curas, tantosq; labores,  
E n datur in digitos lucida gemma tuos.  
A nnulus iste tibi meriti sit testis honoris  
C ertus, & ut fugias ocia, calcar habes.  
N unc finem faciam celebrare insignia tanta,  
I pse D E V S ceptis annuat hisce, precor.  
O pto tuo officio vigeant E C C L E S I A, M u s a,  
T um viuet tua Laus, Gloria, Fama: Vale.

Iacobus Hebergius, LL. Studiosus. S.  
<sup>ευφροσυνης ενεκα η εννοιας.</sup>

GRATVLATIO IOHANNIS DANNI  
Vitebergensis.

A Lto I bespiadum cum monte videret Apollo.  
Te tua Gorgoneis ora rigare vadis  
Ingeniumq; capax, generosa ac semina mentis  
Perspiceret, tales edidit ore sonos:

Aonia

Aonia vestros hortos intrate Camæna,  
Docto vos Iuueni neclere sarta decet.  
Nam fuit Hic longo iam tempore vester Alumnus,  
Magna euoluendo sedulitate libros.  
Pieridum in castris aqua tulit omnia mente,  
Ociaq; ingenijs fugit iniqua bonis.  
Frigora quin etiam sensit, tolerauit & astus,  
Dum multos Claria triuit in arte dies.  
Cursu etenim optatam qui vult contingere metam,  
Inceptum, fugit hac, qua remorantur iter.  
Spreto sæpè oculos vigiles aurora cubili  
Ipsius inuenit luce ferendo diem,  
Disceret ingenuas Sophia ut septemplex artes,  
Et vario posset fundere verba sono:  
Dignus quapropter cui dentur premia, dignus  
Ut sua nunc Laurus tempora docta tegat.  
Vix ea fatus erat, citò dant mandata Camæna,  
Purpureo ut cingat mitra colore caput.  
Aurati ornetur digitusq; insignibus orbis,  
Qua nota Romana nobilitatis erat.  
In cathedra stanti Codex ponatur apertus,  
Officij memorem qui monet esse sui.  
Non te I O H A N N E S pigeat coluisse Camænas,  
Non toties doctos euoluisse libros.

Clara

Clara Magisterij siquidem ipse Trophaea reportas,  
Accipiens studijs premia digna tuis.  
Hos, ALBINE, tibi titulos, insignia Phœbi  
Gratulor, atq; tuo letor honore nouo.  
Grator, AMICE, tibi non Martis at Artis honores,  
Et precibus iungo mutua vota pijs.  
Cuncta trahere in laudem diuini nominis: Inde  
Sic tibi prouenient commoda multa: Vale.

ΕΥΧΗ ad popularem.

LAVS est, crede mihi, non ultima, docte IOHANNES,  
Cuius condecorant laurea fersa caput.  
Nam veluti Phœbus cœlo inter sidera puro  
Eminet, & lustrat lumine cuncta suo:  
Sic quoque qui titulum doctæ sibi comparat arte,  
Præ reliquis vera nobilitate nitet.  
Ergo decus magno tibi cum sudore parasti,  
Quod nunc ex studijs, Optime IANNE, capis.  
Ex animi votis illum tibi grator honorem,  
Quem dedit Albiacæ doctæ caterua Scholæ,  
Ac opto, ut tanto qui te dignatus honore est,  
Det posthac vitæ stamina longa, DEVS.  
Faxit & ut faustum & felix sit nomen adeptum,  
Ut studium noscat patria terra tuum.  
At quia Thespiades me non fecere Poëtam,  
Nec mihi Maronis vena secunda fluit:  
Non tamen hæc, modo que scripsi, mea carmina spernas,  
Nam tibi gratantur prospera fata, VALE.

Elias Hamerus, Delicianus.